

Nam ut<sup>a</sup> omittam cetera maxima, vel egregia tui ingenii insignis cunctos<sup>b</sup> prepollentis patrię viros inlustres<sup>c</sup> Tulliana facundia superas<sup>d</sup> et antecessorum largifluam munitificentiam [larga<sup>e</sup>] manu decoras. Unde ad<sup>f</sup> postulata ut debeo blande respondeo, qui me in epistola tua plurimorum bonorum commemoratione commendas, quantum ad te, non est mea gloria fallax, sed opinione fraudaris<sup>g</sup>. Ego enim [non<sup>h</sup>] in me tot bona cognosco<sup>i</sup>, quod postulas ut rescribam, quid e petitione tua michi placeat, paucis adverte. Auro obrizo<sup>1</sup> preciosior, cunctis opibus tua michi delectio clarior. Ac per hec quinta feria proxime<sup>k</sup> ebdomade in urbe conveniamus et amicitie<sup>1</sup> verbis in precepta revenire satagamus.

Inter hec sciendum est incipientem posse scribere, quęcunque voluntas aut necessitas vel utilitas scribere imperat vel delectat. Rescribentem vero priori sciat singula reddere et ita responsionem aptare, ut similia vel contra contraria<sup>m</sup> respondere, equipperare<sup>n</sup> semper, superare nunquam studeat, aliter viciosa erit responsio.

Oportet quoque cognoscere tam prosaico quam metrico dictamini tria esse necessaria, cola, coma<sup>2</sup>, periodos<sup>o</sup>.

Cola, id est menbrum; hec evenit, quociens in usu diversa ponuntur, nullomodo sibi per sequentia choerentia, ut est: 'Insignis claris<sup>p</sup> moribus, militię gloria fulgidus, sophyę dogmate splendidus, merito a quoque commendandus<sup>q</sup>'.

Coma, id est cesaria viri, quantum dictum est. Desinentia tamen restant<sup>r</sup> per consequentiam, ut in subiecto claret exemplo: 'Cum bonarum mentium sit proprium consilium familiaritatem<sup>s</sup> appetere<sup>t</sup>, cumque michi sit cordi me bonis velle adiungere, tuam primitus amicitiam meis litteris, optime frater Dionisi, studui supplicanter appetere'.

---

a) 'ñ' Hs. b) 'maxima ut egregia tua ingenia insignia, cunctos' Hs. c) 'industres' Hs. d) 'superes' Hs. e) 'larga' fehlt Hs. f) 'ut' Hs. g) 'fraudās' Hs. h) 'non' fehlt Hs. i) 'gnosco', g über 9 geschrieben. k) 'proxima' Hs. l) 'amiciciam' Hs. m) 'contraria' zweimal Hs. n) 'equipperare' Hs. o) 'Perithoos' corr. in 'Peridoos' Hs. p) 'clarus' Hs. q) 'omendatur' Hs. r) 'restat' Hs. s) 'familiaritātē' corr. in 'familiaritātē' Hs. t) 'appertere' oder 'appettere' Hs.

1) 2. Par 3, 5; Isai. 13, 12 und sonst. 2) Die Begriffe 'coma' und 'cola' werden klarer erläutert durch Hugo von Bologna, *Rationes dictandi*, ed. Rockinger, Quellen und Erörterungen zur bayerischen und deutschen Gesch. IX, 58 f.